

Corinthi. Interea de Fidelibus recens in Macedonia baptismo initiatus, sed temporis inopia non satis confirmatis sollicitus; plurimis præterea Corinthi calamitatibus obrutus, quammaximè angebatur (e). Sila tandem, & Timothei adventu gavifus [f], maximà animi voluptate ab eisdem accipit res Ecclesiæ Theffalonicensis se optimè habere, & Macedonia Fideles Fideli, & Charitatis præceptis adèdè inhæsisse (g), ut iisdem, quibus Judææ Fideles à Judæis, à suis civibus vexationibus affecti nihil dimoverentur [h].

e 1. Theff. 3. 7. & 1. Cor. 2. f Ath. 18. 5. g 1. Theffal. 1. 6. & 2. 14. h 1. Theff. 4. 14. i 1. Theff. 4. 12. & c. & 5. 1. k 1. Theff. 4. 11.

nio esse instabili. Illos itaque Epistolâ hæc suâ Paulus suaviter increpat, oburgationibus laudes interserens: ut maximi castitatem faciant, & ab omni omnino turpitudine abtineant, hortatur; supremum Judicium, & lugendi in domesticorum funeribus modum docet; singularem denique amorem, & charitatem, studiumque eos aedendi summum præferet.

1 Epiphan. hæ. ref. 42.

m Grot. Prolog. in 1. Theffal.

IN PRIMAM EPISTOLAM S. PAULI AD TIMOTHEUM PROLEGOMENON.

a Vide Ath. 16. 1. 2. Chryf. in Rom. hom. 19. & in 2. Timoth. hom. 8. & Theodor. in Rom. 16. 21. Tillemont. not. 1. in S. Timoth. b Origen. in Rom. p. 632. c Rom. 16. 21. d 2. Timoth. 3. 15. e Ath. 16. 1. Ecce Discipulus quidam nomine Timotheus: huic testimonium bonum redderant, qui in Lyftris erant & Ionio Fratres. f Ath. 16. 3. g 1. Timoth. 4. 14. h 2. Timoth. 1. 6. i Philipp. 2. 22. k 1. Theffal. 3. 1. 2. 3.

S Timotheum, Lyftris Licaoniæ, ut credimus, natum (a), Origenes idcirco Pauli consanguineum fuisse duxit (b), quod Apostolus ad Romanos scripserit (c); Salutatur ut Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Jason, Sospater cognati mei. Matre Judæâ Eunice, fortè ei fuerat propinquitate conjunctus; allatus verò Epistolæ ad Romanos textus utriusque cognationem perspicuè non probat. Ut ut fuerit, Timotheus vel à teneris annis Sacrarum Literarum studio addictus fuerat (d), & suum Ecclesiæ nomen jam dederat, priusquam Paulus Lyftras perveniret (e). Hunc Apostolus Fratrum omnium testimonio commendatum, suorum itinerum socium assumpsit; cum verò, quod Patre satus esset Gentili, circumcissione careret, ne Judæos offenderet, eundem Lyftris circumcissione initiavit [f]. Timotheum prophetiæ atque peculiari Spiritus Sancti jussu ad Episcopi munus accitum (g) ipsemet Paulus initiavit (h). Quo id tempore contigerit, ignoramus; illud verò scimus, eum postquam Apostolo adhererat, ab eo nunquam, nisi eo ipso mandante, discessisse, & unâ cum ipso, veluti Filium cum patre, in Evangelii prædicatione quamplurimum laborasse (i). Una utroque in Macedonia profecto, Paulus Berœâ egredi coactus, Athenas contendit, & Silam & Timotheum Fidelibus confirmandis Berœæ reliquit. Cum verò Paulus Athenis degeret, eò statim Timotheum accitum, ut Fidelibus persecutione vexatis præsto esset, Theffalonicam misit (k); unde is iterum paulò post Corin-

thum ad Apostolum regressus est (l). Ab Apostolo Corintho Jerosolymas, & Jerosolymis Ephesum profecto, Timotheum nunquam divulsim credimus; à quo deinde unâ cum Erasto in Macedonia & in Achajam missus, ut eleemosynas in Fideles Jerusalem erogandas congereret, aliquandiu post Ephesum rediit; unde iterum discedens, unâ cum Apostolo in Macedonia & Corinthum venit; Paulus verò inde in Asiam regressus, Jerosolymas iter instituit. An Timotheus hoc in itinere Apostolo semper comes adhererit, ignoramus: ex eodem tamen Paulo secum Romæ tunc immorantem habemus, dum carcere detentus ad Philemonem, Philipenses, & Colossenses Epistolas dedit, quarum initium utriusque, Pauli videlicet & Timothei, nomen præferet. Timotheus in carcerem conjectus fuerat paulò antequam Paulus, sub Nerone Romam primò profectus, à suis vinculis solveretur. Anno Christi 64. Hebræi Timotheum carcere dimissum, & si celerius regrederetur, cum eodem Apostolo ad se venturum, ab ipso Paulo per epistolam acceperunt (m). Ubi tunc degeret, incertum; nisi fortè Philippis Macedonia moraretur, quò Timotheum aliquandiu ante se missurum sponponderat (n). Ubi verò Româ Ephesum reversus est, Apostolus, Timotheum ei gerendæ Ecclesiæ reliquit; ad quem hanc, de qua modò, Epistolam misit, ejusque curæ plurima commendavit (o). Epheso in Macedonia anno Christi 64. Paulus profectus, inde, ut credimus, hæc Epistolam dedit, qua Timotheum monet,

1 Ath. 18. 5.

m Hebr. 13. 23.

n Philipp. 2. 19. 23.

o 1. Timoth. 1. 3.

ut providè Pseudo-Apostolis occurrat, qui novæ doctrinæ semina Ephesi & in Asia jacentes, scientiamque & perspicaciam ostentantes, à Fide defecerant, & per Ecclesiæ errores, & hæreses evulgabant. Porro de Episcopis, Presbyteris, & Diaconis ordinandis, de Viduarum cura præficiendis, de peccatoribus publicè redarguendis, de Presbyteris judicandis (p), de coetibus dirigendis, de vitâ denique ab omnibus instituendâ monita imperit. Agit præterea de moribus, qui Episcopos, Diaconos, & Viduas fideles decent (q); & veluti coloribus exprimit ejus ætatis hereticos, Gnosticos putamus, & Simonis Magi Discipulos, qui de pietate, mercaturam facientes flagitia quælibet speciei Religionis obducerent (r). Hinc Patrum testimonio factum est, ut Marcionitæ (s), Encratitæ (t), & Gnostici (u) hæc Epistolam rejicerent. Quod Timotheus solâ aquâ contentus stomacho suo nimium nocuisset, ut modico vini haustu sibi providè medeatur, Paulus suadet (x); eique etiam se Ephesum adventurum pollicetur, quod, ut ultimo itinere Romam contendit, per Ephesum transiens fortè perfecit (y). Hortatur denique, ut, cum annos 35. seu 40. tunc temporis ageret, gravitate, & prudentiâ sibi consulat, ne ejus juvenutem contemptui habeatur (z): & de Hymenæo, & Alexandro fabro arario (a), quorum primus resurrectionem mortuorum iam peractam dicitabat, (b), alter verò, de quo in secunda ad Timotheum Epistola, à pro-

p 1. Timoth. 5. 19.

q 1. Timoth. 3. & 5. 9. 10.

r 1. Timoth. 4. 1. & c. & 6. 3. 4. 20. 21.

s Tertull. 1. 5. contr. Marcion. c. ult.

t Origen. 1. Clemens. Alex. Strom. 1. 1.

x 1. Timoth. 5. 23.

y 1. Timoth. 3. 14. & 4. 13.

z 1. Timoth. 4. 12.

a 1. Timoth. 1. 20.

b 2. Timoth. 2. 17. 18.

3 Tit. 3. 12.

b 2. Timoth. 4. 13.

c 1. Timoth. 3. 14. & 4. 13.

bitate defecerat, à se excommunicatione inultis illum certiore facit. Horum uterque Ephesi tunc immorati videntur, sicut & hæretici, pravique Doctores; à quibus ut sibi caveat, Timotheum monens, maximè commendat, ut à prophanis novitatibus, & fabulis, quas veluti res summi momenti illi ostentabant, penitus abhorreat. Inscriptiones Græcis exemplaribus appositæ hæc Epistolam Laodiceæ Phrygiæ Pacatiana Metropoli scriptam ostendunt, (c): quas utique nihili faciendas ducimus, quod & recentes nimium, & ab Authoribus sine ullius consensu ultro adscriptæ fuerint. Ex iis verbis (d): Rogavit te, ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedonia, ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent: Apostolus tum cum scriberet, in Macedonia constitisse, & paulò ante à Timotheo discessisse, satis innui videtur. Ita etiam censent Critici peritiores (e), in sua Synopsi Athanasius (f), & Theodoretus (g). Extat in Calce Commentarii Theodoretii eadem fermè inscriptio ac in Impressis; sed vir ille doctus vel nunquam legisse illam, & alienâ manu ejus Operi adjecta videtur, vel saltem minimi illam habuit, cum in Præfatione Epistolæ ad Romanos hæc in Macedonia exaratam perspicuè præferat; quod præterea etiam constat ex inscriptionibus huic Epistolæ appositis in quibusdam Græcis Mss. & aliis excussis (h). Per Tycheum Baronius, Coptica per Titum missam docent: utrumque incertum.

c Nominis Phrygiæ Pacatiana nulla nisi post Constantini Imperium mentio. d 1. Timoth. 1. 3.

e Grot. Baron. Ligf. Ham. Capell. in appendice Criticor. p. 39. 9. Tilenus. 1. Gothofred. Mill. Ep. f Athanasius in Synopsi. g Theodoret. Præfat. in Roman. h Edit. Complut. Troben. Mss. Lin. Land. 2. Ros. 2. Hunt. 1. Vide Mill. ad calcem hujus Epistolæ.

d 2. Timoth. 4. 20.

e 2. Timoth. 4. 20.

f Chrysof. in Ath. hom. 46.

g 2. Timoth. 4. 16.

h 2. Timoth. 2. 9. & 1. 8. & c.

IN SECUNDAM EPISTOLAM D. PAULI AD TIMOTHEUM PROLEGOMENON.

Primam ad Timotheum Epistolam anno Christi 64. in Macedonia scriptam demonstravimus. Eaque à prima usque ad secundam ad eundem Timotheum Epistolam, ab Apostolo acta sunt, modò exhibemus. Paulus igitur in Macedonia degens, Nicopolis Epiri urbe (a), secus Ambracia sinum, seu juxta alios, Nicopoli Thraciæ civitate, secus flumen Nessum in finibus Macedonia, hymenare decrevit. Ut ut fuerit, inde sanè Apostolus ad Titum, quem in Macedonia advocat, scripsisse creditur. Proximo Christi anno 65. in Asiam progressus, Troadem venit, ubi à Carpo exceptus hospitio, apud eundem vestem quamdam (b) & Libros reliquit. Inde, ut credimus, Ephesum regressus, ut ei præcedente anno sponponderat, Timotheum invisit (c). Epheso Miletum pergens, ibi

Trophimum ægotantem reliquit (d); contendit sub hæc Corinthum, ubi ex suis Discipulis Erastus constitit [e]; Romam denique allequutus, Judæis atque Ethnicis ad fidem traducendis plurimum incubuit: cum verò, teste Chryostomo (f), Neronis pellicem Deo reddidisset, ejusdem Imperatoris jussu carceri fuit additus. Id verosimillimum est evenisse, cum pro prima sui defensione ante Neronem constitutus (g), ab hujus Leonis faucibus à Deo esset liberatus. An omninò vinculis tunc fuerit solutus, an tantummodò mortis discrimen evaserit, ignoramus; constat verò tunc vinculis fuisse devinctum (h), cum hæc secundam ad Timotheum Epistolam dedit. Tunc temporis Ephesi Ecclesiæ Timotheus præerat: Paulus verò jam martyrio proximus, veluti victimam libationibus jam perfusam, jamque propè absumentam, se ipsum in-

K k 2. tue.

i 2. Timoth. 4. 6. k Chryf. hom. 9. p. 615.

Vita Timoth. apud Boll. 14. Januar.

m 2. Timoth. 1. 6.

tuebatur (i). Quare Chrysoſtomus veluti ſupremas Pauli tabulas hanc Epistolam ducit (k). In ea Apoſtolus Timotheum urget, ut celerimè Romam proficiſcens, ſui comitem itineris Marcum adhibeat, & eam veſtem & Libros, quos Troade tranſiens apud Carpum reliquerat, ſecum afferat.

An Timotheus ante Pauli mortem Romam pervenerit, incertum; hanc enim poſt Epistolam neque de hujus Diſcipuli vita, neque de morte certi quidquam. Sub Nerone obiiſſe ferunt (l). Joanne Pathmos exulante Ephesi infideles ſolemnitatem celebrare die 22. Januarii dicuntur, qua per ſupplicationis ſpeciem Idola per Urbem deferentes, proaciter multa perpetrabant. Quare Timotheus, ut impiam ſolemnitatem interpellaret, medius in eos irrupit; à quibus illicò ſuſtibus contritus, & lapidibus obrutus, exanimis proſus relictus eſt; ſtatimque à Diſcipulis ſuis in montem proximum delatus, paulò poſt occubuit, ibique conditus eſt ſepulturâ. Die 22. Januarii juxta Græcos & Latinos ejus Feſtum recurrit.

Ad Epistolam quod attinet, Paulus ad Timotheum ſcripſit, non modò ut eum accerſeret, verùm etiam ut ei ad ſui muneris labores conſantiſſimè obeundos, & perſecutiones, quibus angebatur, alacriter perferendas, animos adderet atque virtutem. Porrò ut Spiritus Sancti aſſatum, quem in ſua ordinatione acceperat, ſpiritum nempe (m) virtutis, & fiducia, non infirmitatis & timoris iterum excitet, hortatur; de falſis Doſtoribus, & ejus aſtatibus Hæreticis, de Simonianis, & Gnoſti-

cis, deque poſt illos venturis, ei plurima enunciat (n); ut ſibi ab iis caveat moner; & præ viribus acuit, ut tot tantisque à veritate deficientibus, ipſe conſiſtat interritus, ſtrenuèque iis adverſetur, qui veritatem oppugnantes, nova & inania diſſitant, ut audientium aures oblectent, & paſſiones demulceant.

Demadis lapſum ingemit (o), & Phileti, & Hymenæi à Fide defectionem, qui præterea reſurrectionem jam peractam docentes, plurimos in fraudem adduxerant (p); de malis ſibi ab Alexandro fabro ærario illatis queritur (q); pium Oneſiphori in ſe animum, & famularum commendat (r). Avia Loidis, & Eunices Timothei matris (s), quæ à teneris annis pietate, & ſacris Literis Virum erudierant, meminit (t); hortatur, ut plurima muneri ſuo implendo accommoda à Scripturis percepturus, earum lectioni incumbat (u). Ei denique valedicit Fidelium Romanorum nomine, Ebuli, Pudentis, Lini, & Claudiæ, quorum ſingulos Timotheus, poſtquam unâ cum Apoſtolo Romam primò adierat, anno Chriſti 62. ibidem forè cognoverat.

Alexandrinum Mſ. hanc Epistolam Laodiceæ ſcriptam præfert; addit præterea Cophitica ab Oneſimo fuiſſe delatam. Verumtamen Romæ exaratum vulgo ſentunt; quis verò ad Timotheum calo denulerit, incertum. Quòd Paulus (x) ſe Tycheum miſſiſſe Ephesum dixerit, ab ea Urbe tunc Timotheum abuiſſe nonnulli putarunt; quod utique allato Apoſtoli textu minime probatur.

n 2. Timoth. 3. 1. &c.

o 2. Timoth. 4. 9.

p 2. Timoth. 2. 16. 17.

q 2. Timoth. 4. 14.

r 2. Timoth. 2. 16. & 4. 19.

s 2. Timoth. 1. 5.

t 2. Timoth. 3. 5.

u 2. Timoth. 3. 16. 17.

x 2. Timoth. 4. 12.

IN EPISTOLAM S. PAULI AD TITUM PROLEGOMENON.

a Galat. 2. 3. Sed neque Titus, qui necum erat, cum eſſet Gentilis compulſus eſt circumcidi. b Tit. 1. 4. c Hier. in Tit. 2. 7. d Hier. Ep. 130. qu. 11.

e Act. 18. 7. f Chryf. hom. 1. in Tit.

Titus, natu Ethnicus (a), adhuc junior: A ſolo adhaſit, à quo ab Idolorum cultu ad fidem genitus, Filii etiam nomine diſtinguitur (b). Hieronymus (c), quòd valde junior Fidei nomen dederit, ad extremum uſque ſpiritum, illibatam Virginitatis ſtorem retinuiſſe autumat, & Pauli Interpretem, ſeu Amanuenſem fuiſſe (d). Hunc ſanè Diſcipulo Apoſtoli quamplurimùm fidens, plurima implenda ultro comiſit, eumque ſuorum itinerum comitem ſæpiſſimè adhibuit.

Sunt qui Titum Corintho oriundum ſtatuunt, eumque illum eſſe, qui Titus Juſtus in Actis appellatur (e); Intravit in domum cujuſdam, nomine Titi Juſti, colentis Deum. Chryſoſtomus (f) licet & Grotius

hanc de Tito opinionem defenderint (g), à cæteris tamen tam Actorum, quam Epistolæ ad Titum Interpretibus, prorsùs rejicitur. Titus, ad quem Paulus Epistolam habet, jam ipſi adhæſerat, antequam anno Chriſti 51. Concilium Jerofolymitanum cogeretur (h), adeoque priuſquam Apoſtolus Corinthum pergeret, quò nonniſi anno poſt contendit. Præterea aliquandiu poſtquam Paulus Corintho diſceſſerat, ſuborto illic opinionum diſſidio, ad reſ ſedandas (i) eò Titum ab Apoſtolo miſſum, & à Corinthiſ comiter exceptum ſciimus; qui licet ex miniſterio Evangelico ſibi viduum comparare jure poſſet, ab iſdem nihil accepit: maximo etiam Corinthiorum amore tum captus eſt, ſequè, ut Pauli veniam inſeſtuoſo obtineret, interpoſuit. Iter ad Corinthiſ tum ſecundò etiam

g Grot. in Tit. Prolog.

h Galat. 2. 1.

i 2. Cor. 12. 18.

k Hier. in Tit. 3. 12. Theodoret. in Epistol. 116. Vid. Tit. 1. 5.

l Hebr. 13. 23. Vide Chryf. Prolog. in Epistol. ad Hebr. m 2. Timoth. 4. 13. Philem. verſ. 22.

n Philipp. 2. 24. Vide Chryf. ſub. prolog. in Philipp. p. 2. o Chryſoſt. Theophyl. Theodoret. Oecumen. alii.

p Hier. in Epistol. ad Tit. Grot. Eſt. Eraſm. Bayon. Uſſer. Tallem. Logfoot.

q Hier. in Tit. 3. 12. Athanaſ. in Synopſi, Subſcriptiones Græca ad calcem hujus Epistol. Eſt. alii nonnulli.

r Tit. 3. 12. s Iſt. Syr. & Capell. p. 66. t Tit. 3. 12.

inſtituit, cum ſecundam ad eodem Pauli Epistolam detulit. Hæc, quæ ab utrâque Pauli ad Corinthiſ Epistolâ deduximus, Titum Juſtum, Corinthi civem, & Apoſtoli hoſpitem, à Tito, de quo hic, Pauli Diſcipulo alium prorsùs eſſe nobis fatiſ ostendunt.

Paulus, poſtquam primùm ſe Romam contulerat, è carcere educus, anno Chriſti 63. in Orientem iterum perrexit, & plurimos, ut credimus, Cretâ inſulâ ad Fidem traduxit (k). Jam verò ad Eccleſias de omnibus erudiendas, & ad Episcopos, & Sacerdotes ubique conſtituendos tempus ſibi non ſuppeteret, Titum rebus curandis reliquit, quem & Episcopum conſecravit. Quibus peractis, in Judæam facile profectus, ſicuti ad Hebræos ſcribens ſpõnderat (l), inde in Aſiam (m), & demùm in Macedoniam regressus eſt (n), ubi Nicopoli Thraciæ urbi, in Macedoniâ ſinibus juxta Græcos (o), ſeu in Nicopoli urbe Epiri, ſecùs Sinum Ambraciæ, juxta Hieronymum, & Recentiores plerique (p), hycmare conſtituit.

Teſtibus Hieronymo, & Authoribus Inſcriptionum in calce hujus Epistolæ (q), cum ad Titum ſcripſit, Apoſtolus jam Nicopoli degebat. Textus, cui hæc opinio innititur, de noſtra ſententiâ, intentum fatiſ aperte non probat, ait enim Apoſtolus (r): *Festina ad me venire Nicopolim, ibi enim ſtatui hycmare*: quo quidem in via ad Nicopolim ſe tum fuiſſe tantùm inſinuat. Hanc Epistolam per Zenam, & Apollinem ad Titum miſſam nonnulli arbitrantur (s). Horum uterque in Cretâ inſula tunc ſanè conſtiterant, ſive Paulus illac tranſiens eos jam reliquiſſet, ſive illuc eodem poſteâ miſiſſet, ſive eo ſe ultro contuliſſet. Illuc verò ab Apoſtolo miſſos idcirco credimus, quòd ipſe Tito, ut de omnibus, quæ ad iter poſtulerentur, inſtructi remittantur, commendat (t).

Ne Creta Inſula per Titi abſentiam careret Episcopis, Titum Paulus præmonit, ut inde non diſcederet, niſi cum Tycheus, ſeu Artemas, quos mittebat, eo perveniſſent (u); qui ejus munera, dum abeſſet, fatiſ implerent. Titus primus Cretæ Episcopis habetur, ibique mortuus, & ſepultura mandatus creditur. Ejus Inſulæ Cathedralis Eccleſiâ Titi nomini con-

ſecrata, ejuſdem adhuc integrum caput ostentat. Quæ verò morte S. Episcopis, & quo tempore obierit, ignoramus.

Potiffimum hujus ad Titum Epistolæ argumentum in Episcopis officio exhibendo verſatur; cum autem præcipuum Titi munus in eâ Inſulâ eſſet initiare Sacerdotes & Episcopos, ſummâ illi curâ ſatagendum erat, ut optimos eligeret. Eadem ferè omnia, quæ Timotheo eidem muneri addito aliàs ſcripſerat, hic Apoſtolus recenſet, & vitæ rationem ſingulis hominum ſtatibus, ſenibus nempe, viris, ſceminis, junioribus cuiuſque ſexus, & mancipiis ab Episcopis præſcribendam, perſequitur. Monet inſuper, ut in Cretenſes authoritatem ſuam exerat, & acrioribus verbis caſtiget, ut viros nempe mendaces, iniquos, pigros, & voraces.

Judæorum plurimi in eadem Cretâ Inſulâ Fidei Catholice nomen dederant, ſed peculiareſ errores, cæremõnias, & traditiones in Eccleſiam invexerant; quare Apoſtolus Titum hortatur, ut vanis illorum traditionibus, atque Judaicis fabulis adverſetur, ſimulque ostendat, neminem ultra Legalibus cæremõniis adigendum eſſe: ciborum delectum abolitum eſſe, omnia enim munda mundis, omniaque immundis immunda. Fideles verò, ut temporalium Principum diſte audientes ſint; diſputationes, querelas, maledictiones evitent; honeſtiſ ſe exercitationibus impendant; ſedulo autem Hæreticos caveant poſt primam & ſecundam correctionem, pervicaces. Titum denique orat, ut ubi Artemas, aut Tycheus Cretam pervenerint, ſe ipſum inviſurus Nicopolim contendat.

Sua ſemper huic Epistolæ in Eccleſiâ manſit Canonica authoritas, ſoloſque Hæreticos habuit refragantes, Marcionitas nempe (x), Baſilidianos, alioſque nonnullos (y). Tatianus Encratarum author non probabat tantùm, ſed & cæteris preferendam contendebat (z). Unde, & quo tempore ſcripta, & à quo delata fuerit Epistolâ, adhuc incertum. Verofiſſimè tamen ducimus anni Chriſti 64. autumno datam fuiſſe in Græciâ, ſeu in Macedoniâ, cum Paulus adhuc iter faciens Nicopolim Epiri proficiſcetur.

x Tertull. contr. Marcion. l. 5. c. ult.

y Hieronym. Prolog. in Epistol. ad Tit.

z Idem ibidem.